

Thorelorus

NOS DON FRANCISCUS  
 DEL CASTILLO, ET VINTIMILLA, PRINCEPS  
 de Vintimilla, Marchio de Cropani, Comes del Peñon  
 de la Vega, Eques Professus Militaris Ordinis S. Jacobi,  
 Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus  
 Barchinonen. à Consiliis Sac. Cath. ac Regiæ Majestatis,  
 ejusque Regalium Exercituum, & Classium, Vicarius  
 Generalis, &c.

1742  
in cat  
R

UNIVERSIS, ET SINGVLIS PAROCHIS CIVITATIS, ET  
 Diœces. Barchinonen. caterisque Personis, quacumque Auctoritate, aut Dignitate  
 fungentibus, seu functuris, quibus intersit, intererit, aut interesse  
 poterit quomodolibet in futurum. Salutem in Domino.



OVERITIS quod Nos parendo juramento per Nos  
 in Actu nostræ Consecrationis præstito, visitandi  
 scilicet per Nos ipsos, aut legitimo impedimento  
 detentos per certum Nuntium singulis quadrienniis  
 Sacra limina Apostolorum, ac Sanctissimo Domino  
 nostro Papæ de toto nostro Pastoralis Officio, & de  
 rebus omnibus ad nostræ Ecclesiæ statum, Cleri, &  
 Populi disciplinam, Animarum denique, quæ no-  
 stræ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo perti-  
 nentibus rationem reddendi, atque mandata Apostolica suscipiendi, &  
 exequendi, in quadriennio, quod finem accepit decimo quinto Kalendas  
 Januarii proximè dimissi gravibus præpeditis negotiis pro hujusmodi  
 munere personalitèr explendo, anno nuper devoluto Nuntium ad hoc  
 deputavimus specialem, per quem suæ Sanctitati relationem in scriptis  
 ad præscriptum Constitutionis foelicis recordationis Sixti Papæ V. quæ  
 incipit: *Romanus Pontifex*, datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo  
 quinto Kalendas Januarii 1585. Pontificatus ejus anno primo præsentare  
 fecimus, in quo inter alia pro nostræ conscientiæ, & Parochorum nostræ  
 Diœces. exoneratione circa celebrationem Missæ pro Populo sequentia  
 retulimus, atque proposuimus, nempe:

*Invenio quidem Prædecessorem meum Bernardum in simili relatione anno  
 1729. exposuisse; quòd quamvis nonnulli Parochi meâ Diœces. singulis diebus  
 Dominicis, & Festivis de præcepto Missam pro Populo celebrassent, plures ta-  
 men solemnioribus dumtaxat Dominicis, & Festis ipsam Missam pro Populo ap-  
 plicabant; & cum plures declarationes Sac. Congreg. Concilii pro diversis locis  
 emanassent, quibus Parochis injungebatur, ut Missam pro Populo singulis sal-  
 tem diebus Dominicis, & Festivis de præcepto applicarent, nihilominus ad hæc*

A

*injungenda*

Dupl  
Col  
Dup

injungenda singulis Parochis, nonnulla inveniebatur obstacula, videlicet, quod in hac Provincia, quasi omnes fructuum decimæ erant secularizatae, & Parochi ad summum tertiam partem pro administratione Sacramentorum, & adhuc non ex omnibus fructibus recipiebant, cum quibus aliquæ pingues, aliæ evaserant tenues. Deinde, quod erant non paucæ Ecclesie Parochiales, quæ nullam, seu ferè nullam partem decimæ fructuum accipiebant, & eorum consistebant proventus in turibus funerum, & distributionibus respondentibus Horis Canonicis, Missis lectis, & solemnibus statutis diebus per speciales Benefactores relictis, & Anniversariis, pro ut sunt plures Ecclesie habentes Clericorum Cœtum. Insuper quod multæ erant Parochiales Ecclesie ferè nullam partem Decimæ habentes, quæ suum alebant Parochum præcipuè ex proventibus, legatis per pios speciales Benefactores pro Missis lectis, & cantatis, ac Anniversariis, ex quibus oneribus maxime erant gravata, & non parum indigebant elemosyna Missæ singulis diebus pro sua decenti congrua sustentatione. Proposuit pariter quod si omnibus Parochis prædictum onus celebrandi pro Populo injungeret, pertimebat nonnullos Parochos fundationes Missarum, & Anniversariorum adimplere non posse, Missasque solemnes illis Festis, quorum intuitu per Benefactores fuerunt fundatae, celebrare non valere, quod notabilem novitatem, & forè scandalum pareret, quodque in Ecclesiis, ubi Cœtus adest Clericorum, hi hujusmodi Missæ, cui nulla erit distributio assignata interesse nollent. Cujus Prædecessoris propositis, Sac. Congreg. Concilii die decima quarta Januarii 1730. sequentia Verba rescripsit. = Parochis pauperibus, id unum indulgeri potest, nimirum ut arbitrio tuo pro festis diebus, quibus Populo applicare Divinum Sacrificium debent, alium Hebdomadæ diem assignes; Cæterum nimis urgent pro re quolibet modo implenda Tridentinum, & Sacræ hujus Congregationis Decreta.

Attamen idem Prædecessor morte præventus, nihil circa hec operatus fuit. Cumque Ego in Visitatione Generali invenerim Parochos meæ Diocesis, adhuc Doctorum de his tractantium opiniones sequi, & sicut dictus Prædecessor tunc enarravit peragi, nonnullique arguentes, quod pro hujusmodi oneris implemento in singulis Missis dicitur Peroratio = Et famulos, &c. Cum qua pro Papa, Episcopo, Clero, Rege, ac Populo Deum deprecatur; pro mei muneris implemento, conscientiaque meæ, & Subditorum securitate, præmissa irarum Sanctitati Vestræ referenda duxi, superaddens, quod si Sanctitas Vestra, seu Sac. Congreg. decernat omnes Parochos teneri ad applicationem Sacrificii pro Populo, omnibus diebus Dominicis, & Festivis de præcepto, pro executione, sequentia dubia pro benignitate sua dignetur declarare, videlicet.

Primò: An ad hujusmodi munus implendum teneantur omnes Parochi, quamvis non accipiant aliquam partem Decimæ fructuum, sed ex distributionibus, & Missarum elemosynis, funerumque proventibus cum sudore vultus dumtaxat vivunt?

Secundò: An in Ecclesiis unitis, ubi adest Vicarius perpetuus habens congruam, seu portionem limitatam onus præhabituam, sit munus Vicarii perpetui, vel ejus qui habet Ecclesiam unitam?

Tertiò: Quid agendum, si alicui Parocho, deficientibus ei elemosynis Missarum diebus Dominicis, & Festivis, desint necessaria ad se cum familia oppor-  
euna decemter alendum? Quartò:

Quartò: Quomodo providendum in diebus Dominicis, & Festivis, quorum incuitu pii Benefactores fundarunt, seu Confratres alicujus Confraternitatis, seu alii celebrare facere consueverunt, Missam Conventualem, & aliquandò solemnem pro speciali Benefactore, seu cum determinata applicatione?

Quintò: An in Ecclesiis ubi adest Cœtus Clericorum, qui præcisam non habent residentiam, sed tantum liberam, & causativam tituli, illi possunt cogi ad interessendum Missæ Conventuali pro Populo, sine distributione: nam omnes redditus determinatum habent onus; & an valeat Episcopus auctoritate Apostolica, aliqua antiquiora onera Missarum lectarum, seu cantatarum suppressere ad constituendam quandam proportionatam massam distributionum elargiendam interessentibus Missæ pro Populo, vel aliàs hæc suppleri valeat quadam Missa lecta?

Sextò: Quid faciendum in illis Ecclesiis pluribus Missis fundatis adstructis, si Parocho, præhabitis diebus, pro Populo celebrante, non valeat illas adimplere, vel celebrare per se, nec per alium, saltè in iisdem Ecclesiis, quia cum manuali elemosyna difficilis est accessus aliorum Sacerdotum; en an tali casu fieri valeat reductio, seu minoratio, aut translatio onerum Missarum?

Deniquè: An pro diebus Festivis de præcepto, intelligantur etiam Feria V. in Cœna Domini, Sabbatum Sanctum, & Patroni Titulares, seu ex Voto Populi, necnon illa Festa, in quibus manente præcepto audiendi Missam, licet operibus servilibus vacare; prout in hac Provincia invenitur concessum per felic. record. Benedictum Papæ XIII. cum speciali Brevis, Metropolitanano Tarraconen. & Coëpiscopis in Concilio Provinciali congregatis directo, dat. Romæ die 22. Maii 1728. ex quo dumtaxat remanent cum totali præcepto, ultra Dominicas, Festa Natalis Domini, Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, S. Ioannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Iacobi Majoris, Omnium Sanctorum, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ, cum feriis secundis post Pascha, & Pentecostes.

Cui quidem nostræ Relationi per suam Sanctitatem pro examine Sacræ Congregationi Cardinalium, Sac. Concilii Tridentini Interpretum remissæ, postquam per eandem de nostris actis, & postulatis SS. D. N. Papæ relatum fuit, eadem Sac. Congreg. cum littera datum Romæ die 19. Maii proximè præteriti Nobis super præmissis rescripsit in hunc qui sequitur modum.

Parochis autem omnibus, tam qui decimæ jure gaudent, quàm qui eo jure non gaudent, minimè dubium esse, quin Sacrificium diebus festis pro Populo omninò offerre teneantur. Vicarios item perpetuos eadem erga Populum obligatione teneri. Quod si elemosynæ emolumento sublato, vix illis ad victum satis reliquum sit, obligationem subministrandi Vicariis, aut victum, aut elemosynam, in principales qui deputarint, rejiciendam esse censei. Cæterum tenuissimis, atque egenibus Parochis indulgendum, ut elemosynæ causa sacrificia diebus festis Benefactoribus applicent, ea tamen lege, ut subsequentibus feriis toties pro Populo satisfaciant, quoties emolumentum causa pro Populo diebus festis offerre prætermiserunt.

In festis autem diebus in quibus Parochi offerre omninò pro Populo Sacrificium tenentur, neque Feriam V. in Cœna Domini, neque Sabbatum Sanctum, censendum esse videri: Item diebus, aut solo Episcopi edicto, aut Populari consuetudine,

AD.

dine, aut voti causa festiuis, obligationem pro Populo celebrandi non esse Parochis imponendam; In cæteris autem festis, siuè sermo sit de illis, in quibus juxta præscripta à Concilio Tarraconen. confirmato à san. mem. Benedicto XIII. nedum Missa audiri debet; sed etiam abstinendum est ab operibus seruilibus, siuè sermo sit de aliis, in quibus juxta idem Concilium sat est audire Missam, nec adest obligatio ab operibus seruilibus abstinendi, firmam, atque perpetuam Parochis remanere obligationem pro Populo celebrandi.

De Consuetudine Clericorum Parochiali Missæ assistentium Sacræ Congregationi videtur Barchinonensis Ecclesiæ morem, ac disciplinam esse seruandam. Cæterum Parochialem Missam pro Populo cum cantu celebrandam, posse per legitimam ritè suppleri.

Quare de præmissis omnibus, & singulis fidem facientes eadem omnia, & singula Vobis dictis Parochis, & cuilibet vestrum, cæterisque quibus interfit, intimamus, notificamus, & insinuamus, & ad vestram vestrorumque cujuslibet notitiam deducimus, & deduci volumus, & mandamus præsentium per tenorem; non ambigentes, Vos dictos Parochos in re tanti momenti, sicuti Sacrificium pro Ovis vobis creditis offerre non desides fore, ac declarationibus dictæ Sacræ Congregationis omnino parete, prout tenemini curabitis, super quo conscientias vestras oneramus; Nostri autem, Successorumque nostrorum erit in futuris Visitationibus de implemento rationem exquirere. Et ut perpetuè commendetur memoriæ, præcipimus vobis quatenus præsentibus nostras Litteras in tabella celebrationum, seu Libro ubi Missæ perpetuè adnotatæ reperiuntur, custodiatis, & consuatis. Dat. Bitulonæ die 22. Junii anno Domini 1742.

FRANCISCUS, EPISC. BARCIN. V. G.

Locus Si x gilli.

De mandato dicti Illustris & Reverendis Dñi mei Episcopi, & V. G. expedit.

Dr. Antonius Campillo, Presbyter, Not. & Scriba Vicariatus Ecclesiastici Barchinon.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*